







10127

Vol. III. n. 15

1752, 35.

6

DISPUTATIO IVRIDICA  
 VIGESIMA PRIMA  
**SELECTIONA IVRIS  
 PRINCIPIA**

AD

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
 LIBRI XIV. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

PRAESIDE

**IO. TOBIA RICHTERO**

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
 COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXIX. IVNII A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

**FRIDERICVS MICHAEL STEIN,**  
 TORGAVIENSIS.

---

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS.





DISPUTATIO IURIDICA  
VIGESIMA PRIMA  
SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XIV SPECIMEN I CONTINENS  
QUAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLIA  
P R A E S I D E  
IO. TORIA RICHTERO

PHIL ET I V D. REG NON EROR PVBL ET  
COLLEGIJ MIVNER PRINCIPIS CENSITATO  
AD DIEM XXII IANII A. C. M. MDCCCLII

H. E. G. C.  
PVBlice VENTILANDAM PROPONIT  
FRIDERICVS MICHAEL STEIN

FRANCOVIAE  
P R E S S A E  
LITTEAE LANTHNER







Q. D. B. V.

SELECTIONUM IURIS  
PRINCIPIORUM  
AD DIGESTORUM  
LIBRUM XIV. SPECIMEN I.

---



I.  
Exercitor etiam ex facto magistri il-  
licito teneri potest, quatenus na-  
uigantes eo sunt laesi. Etenim  
VLPIANO <sup>2</sup>) teste, *omnia facta  
magistri debet praestare qui eum  
praeposuit: alioquin contrabentes deciperen-  
tur; idque in utilitatem nauigantium introdu-  
ctum est. In quo igitur ex magistri facto, de-  
trimenti quid capiunt, vel alias laeduntur na-  
uigantes, de eo procul dubio exercitor re-*

A 2

sponde-



#### 4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

spondere tenetur. Accedit quod ille, cui quid imputari potest, ex principiis sanae rationis iam obstringatur: At vero qui sciens maleuolum, aut eum, cuius fidem animique integritatem, non satis explorauit, nauis praeposit, culpam in eligendo ministerio committit; <sup>b)</sup> hinc ei factum illicitum praepositi potest imputari, ex quo ut obligetur, necesse est. <sup>c)</sup> Sic ex furto, quo nauigantibus quicquam abstulit, ex iniuria, qua eosdem affecit magister, quinimo ex aliis illicitis causis, exercitorem conueniri, et pro re nata puniri posse, equidem vix ambigendum esse arbitror.

a) L. 1. §. 5. ff. de exercitor. actione.

b) arg. L. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. L. 11. ff. Locat. conduct.

c) vid. §. ult. I. de obligat. quae quas. ex delict.

Dissent. LVDOVICI Doctrin. Pandect. Lib. XIV. Tit.

1. §. 2. in f.

#### II.

Quod VLPIANVS <sup>a)</sup> ait: *Si plures nauem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest, et CAIVS <sup>b)</sup> hac ratione confirmat: ne in plures aduersarios distringatur, qui cum vno contraxerit, quodque PAVLVS <sup>c)</sup> probat et ita illustrat: nec quicquam facere, quotam quisque portionem in naue habeat: eumque qui praestiterit, societatis iudicio a ceteris consecuturum;*



*turum*; id iure nouiori secus esse, et beneficium diuisionis obtinere non immerito arbitrator. Cum enim IVSTINIANVS imperator<sup>d)</sup> nouissime constituerit, plures fideiussores, etiamsi quemlibet eorum in solidum teneri oportere confecerint, ex hoc pacto quidem in id aliquando quod a reliquis accipi non potuit, obligari, *non tamen mox ab initio unumquemque in solidum exigi, sed interim secundum partem, qua vnusquisque obligatus est*: cumque laudatus Imperator hanc suae Legi addat rationem: *ne commune debitum, proprium cuiuspiam fiat onus*; satis superque inde patet, legislatoris hanc fuisse mentem, vt omnes correi, etiam in solidum expresse obligati, adeoque plures non minus exercitores gaudeant beneficio diuisionis. Ratio scilicet Legi adiecta tam est generalis vt non tantum ad casum, quo plures fideiussores, sed etiam ad eum, quo nonnulli ex alia causa in solidum sunt obstricti, omnino pertineat. Et quia hic in communi iure versamur, dubitandum non est, quin et locum habeat, quod ait VLPIANVS: *Quotiens Lege aliquid, vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione suppleri.*



## 6 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

- a) L. 1. §. 25. ff. de exercitor. act.
- b) L. 2. ff. eod.
- c) L. 3. ff. eod.
- d) Nou. XCIX. cap. I. pr.
- e) L. 13. ff. de Legibus

Dissentit. LAUTERBACH. Conclusio. Forens: Exercit. XXVI. concl. 1.

### III.

Postquam leuandae nauis causa eiectio mercium, ob necessitatem communem vique fatali excitatam, secuta nauisque seruata est, id quidem, quod pro omnibus datum, omnium quoque contributione sarcendum est. <sup>a)</sup> Sed quomodo res tam amissae quam seruatae, aestimari debeant, an quanti emtae, an vero quanti vendi potuerint vel possint? in quaestionem venit. In amissis quidem illud pretium quo emtae sunt, spectari, et omnes consentiunt, et Ictus PAVLVS <sup>b)</sup> praecipue docet, ratione hac adiecta: *quoniam detrimenti, non lucri, fit praestatio.* Ast intuitu seruatarum male nonnulli statuunt, eas aestimari eo, quo vendi potuerunt, pretio, cum hoc non tantum contra naturam rei sit, quandoquidem in mari ad vendendum exponendi vix datur occasio, sed et Legibus longe aliter atque rectius ea res exprimat, quarum diferta verba haec sunt: <sup>c)</sup> *Sed in his rebus, quarum nomine*



*nomine conferendum est, aestimatio debet haberi, non quanti emtae sint, sed quanti venire possunt.*

a) L. 1. ff. de Lege Rhodia de iactu.

b) L. 2. §. 4. ff. cod.

c) all. L. 2. §. 4. ff. cod.

Dissent. LUDOVICI Doctrina Pandect. Lib. XIV.

Tit. 2. §. 6.

#### IV.

Quicumque alterius infortunium auertit, eoque nomine de suo quicquam impendit perditque, is contra reliquos, quorum interest, quorumue res hoc modo ab interitu sunt seruatae, non immerito ad indemnitatem habet actionem. In aprico enim est, eundem suo damno aliorum promouisse vtilitatem, adeoque hos alios illius damno factos fuisse locupletiores. Quod autem nemo cum damno alterius locupletior fieri, sed laesum indemnem seruare debeat, et naturali ratione et Legibus<sup>a)</sup> claris euincitur. Accedit quod PAVLVS<sup>b)</sup> ait: *omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est;* quae sententia cum generalis sit, ac aequitate confirmata, ad alios, praeter mercium iactum casus, merito pertinet. Huc refero, si quis domum suam, ingruente incendio, ad conseruandas aedes vicinas diruat; quo casu aedes suas diruens, contra



8 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

contra aedium hoc modo conseruatarum dominos ad indemnitatem habebit actionem, dummodo vere horum minorum, iacturam fieri, interfuisse probetur. c)

- a) L. 206. ff. de R. I.  
 b) L. 1. ff. de Lege Rhodia de iactu.  
 c) L. 2. §. 2. ff. de Lege Rhodia de iactu. Conf. GAIL.  
 Lib. II. Obseruat. 22. n. 4.

V.

Institor seu negotiationi cuiusque terrestri praepositus, alium substituere non valet. Id enim institor tantum peragere potest, quod ei mandatum est, \*) *nec omne* VLPIANO b) teste, *quod cum institore geritur, obligat eum, qui praeposuit: sed ita, si eius rei gratia, cui praepositus fuerit contractum est, id est, duntaxat ad id, ad quod eum praeposuit.* Iam vero praeponens qui hunc institorem elegit atque praeposuit, de alio quodam substituendo sensisse censerique nequit, quia omnem consensum strictissime interpretamur; hinc institorem potestatem quemquam substituendi accepisse, ut negemus necesse est. Accedit quod praeponens procul dubio ad industriam praepositi singularem respexerit, quam in alio vix probare videtur, quia hunc institorem constituit. c) Nec mihi vnquam persuadeo, quod



quod a iure, quo gaudet magister navis, alium quemlibet substituendi, <sup>a)</sup> ad institorem iusta valeat conclusio; cur enim exercitor etiam facta illius quem substituit magister, praestare inuitus teneatur, ratio in publica nauigantium utilitate consistit: at vero eandem intuitu institoris esse rationem, nemo hactenus probauit, nec facile probaturus est.

a) L. 5. §. 15. ff. de institor. act.

b) L. 5. §. II. ff. eod.

c) v. LVDOVICI Vsum. Pract. ad Tit. de Institor. act. distinct. I.

d) L. I. §. 5. ff. de exercitor. actione.

Dissent. LAUTERBACH. Conclus. Forens. Exercitat.

XXVI. concl. 6. ob L. I. §. 5. ff. de exercit. act. et

L. 5. §. 17. de institor. act. ibique alleg. MEIER.

in Coll. Iur. Argent. de institor. act. th. 3. in fin.

## VI.

Qui cum institore, qua tali contraxit, is eius officium omnino respexit, eumque non aliter nisi sub eadem qualitate sibi obligauit. Quicquid igitur institor ex eiusmodi contractu debet, id ex negotio cui praepositus est, adeoque ex rebus praeponentis non potest non debere, quia tantum de re ad negotium commissum pertinente contraxit. Hinc est quod institor liber homo ipse durante officio ex inito contractu conueniri possit; <sup>a)</sup> quod

B

et



IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

et VLPIANVS <sup>b)</sup>) confirmat quando dicit: *Filiusfamilias institor mutuum pecuniam accepit. Scribit enim IULIANVS Lib. XII. ipsum quidem institorem exceptione S<sup>C</sup>ti vsurum, si conueniatur: sed institoriam actionem aduersus eum, qui praeposuit, competere. Quamquam, inquit, si ipse pater eum praeposisset merci suae, vel peculiarem exercere passus esset, cessaret S<sup>C</sup>tum: quoniam patris voluntate contractum videretur. Cuius ex Legis verbis vltimis apparet, filiumfamilias a patre merci praepositum, ne quidem exceptione S<sup>C</sup>ti Macedoniani vti, adeoque conditione ex mutuo conueniri posse. Colligo inde institorem ita conuentum, ne quidem actorem et causam ad praeponentem remittere, sed condemnari ac iudicatum soluere posse, imo debere, quamuis praeponens postea prohibeat, ne soluat creditori, aut quamuis institor male negotiatus sit; nam institor contraxit, remque praeponentis obligauit, eoque nomine parti contrahenti ius quaesitum concessit, et de his ipsis male forsitan peractis, praepONENTI suo tenetur. <sup>c)</sup>) Ceterum quod institor eo casu conuentus de suo nihil praestare cogatur, nec executio in bona eiusdem propria fieri queat, ex dictis facile patet.*

a) conf.



- a) conf. CARPZOV. part. II. Const. 20. def. 14. n. 2.  
et sequ.
- b) in L. 7. §. ii. ff. ad SCtum Maced.
- c) vid. ea de re LAVTERBACH. Conclus. Forens. Exercitat. XXVI. concl. 10. et MARQVARD. Tract. de Iure Mercator. Lib. I. cap. 8. n. 43.

## VII.

Actionis tributoriae hodie nulla est utilitas. Quamvis enim adhuc hodie fieri possit, ut filiusfamilias sciente patre, merce peculiari negotietur, ac ea in re aes alienum contrahat: <sup>a)</sup> id tamen vix ac ne vix quidem apud nos fiet, ut pater eo casu merces, vel quod eo nomine debetur, dolose vel ab initio, vel postea, vel plane non, vel inaequaliter distribuatur. <sup>b)</sup> Etenim inter omnes constat, hodie moto creditorum concursu, non privatum hominem veluti patrem, sed magistratum publica auctoritate, causa cognita distribuere. Nisi autem dolosa illa distributio a patre fiat, aut cum fieri aequaliter debuerit, plane denegetur, actio tributoria neque cogitari neque locum habere potest. <sup>c)</sup>

a) secundum L. 1. pr. §. 2. 3. L. 5. §. ii. sequ. ff. de tributoria actione.

b) ex L. 7. §. 2. ff. eod.



12 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

c) vid. STRYK. Vñ. modern. Lib. XIV. Tit. 4. §. 1. Ceterum cum seruos Romanos nullos habeamus, haec actio tributoria intuitu domini qui serui sui merces peculiares male distribuit, in se cessat.

VIII.

SCtum Macedonianum de sola pecunia numerata intelligendum est, adeoque casum supponit quo filiusfamilias pecuniam mutuo a quoquam accepit. <sup>a)</sup> Quodsi ergo filiusfamilias de alia quadam re fungibili contraxerit seque obligauerit, SCti exceptio ei non competit, quia eiusmodi contractus validissime celebrare potest. <sup>b)</sup> Est igitur a vero alienum quod nonnulli Doctores statuunt, <sup>c)</sup> etiam tunc SCto esse locum, quando oenopolae vina, cereuisarii cereuisiam, cupediaarii cupedias, mercatores merces nimis pretiosas vltra modum crediderint, cum filiusfamilias de eiusmodi rebus contrahere omnino valeat, et numeratam pecuniam tantum accipere mutuo non possit. Vbi vero iure cuiusdam prouinciae speciali, aut locorum statutis aliud cautum, <sup>d)</sup> ibi alia res est, et eatenus iuri ciuili derogatum.

a) L. 4. ff. de SCto Macedon.

b) L. 1. ff. quod cum eo, qui in alien. potest. est. L. 2. L. 5. pr. ff. eod. L. 39. ff. de Obl. et Act.

c) BRVN-



c) BRUNNEM. Comment. in Pandect. ad L. 3. de SCto Maced. n. 8. STRVV. Syntagm. Iur. Ciuil. Exerc. XX. th. 53.

Obst. L. 7. §. 3. ff. de SCto Maced.

d) Cuiusmodi statutum inter Lipsiensium magistratus, academicum et oppidanum conditum est anno MDLXV. quod compactatorum nomine venit, quoue mercatores inprimis et oenopolae studiosis ultra quinque florenos credere non debent. Idque postea Mandato Regio die XXIX. Decembris MDCCXVIII. non tantum approbatum, sed et ad fautores, factores aliosque nonnullos extensum fuit.

IX.

De eo an filiofamilias, qui peculium aduentitium irregulare habet, exceptio SCti Macedoniani tribuatur, dudum inter DD. disputatum fuit, quod quidem praeter alios LAUTERBACHIVS \*) potissimum affirmavit, eo quod nusquam in iure tradatur, filiumfamilias in illo peculio pro patrefamilias haberi. Ego vero potius contra sentiendum, dictoque casu exceptionem filio denegandam esse arbitror. Nam regulariter filiusfamilias ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur, et ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias, nec non executio si quid proprii habet, in eum decerni potest. Deinde ratio SCti, quam ipse IVSTINIANVS imperator



14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

rator <sup>d)</sup> exponit, haec est: ne liberi aere alieno onerati vitae parentum insidiarentur, quae tamen si filiusfamilias proprii quid habet plane cessat. <sup>e)</sup> Denique hoc loco non tam in quaestionem venit, an filius pro patre aut filiofamilias habeatur, quia plures dantur casus, quibus debitor pecuniae etiam patriae potestati adhuc subiectus perfecte tenetur; <sup>f)</sup> sed an habeat vnde soluat, et an hoc casu iure conueniri, et ad id quod debet, soluendum cogi queat, ita vt SCrum ei parum proficit.

a) LAVTERBACH Colleg. Pandect. Lib. XIV. Tit. VI. §. 10.

b) L. 39. ff. de Obl. et Act. L. 57. ff. de iudic.

c) arg. L. 5. pr. ff. quod cum eo, qui in alien. potest.

d) §. 7. I. quod cum eo, qui in alien. potest.

e) BRVNNEM. Comment. in Pandect. ad L. 1. de SCto Macedon. n. 6.

f) vid. L. 3. pr. §. 1. 2. ff. L. 1. L. 2. C. de SCto Macedon.

X.

SCto Macedoniano etiam iuuatur filiusfamilias, qui magistratus dignitatem est adeptus; nam ideo quod filius magistratum gerat, non statim soluitur patria potestas, neque adeo SCrum cessare potest, quippe quod de quouis filiofamilias agit, nisi quis in specie sit exceptus. Neque aduersatur huic sententiae, quod



quod alii statuunt: absurdum fore, privato nomine ei cum periculo credi, cui reipublicae negotia credita sunt; non enim hoc loco quaerimus de eo, quod melius dici atque constitui forsan possit, sed de eo, quod cautum est. Certe si quid limitis loco addendum est, id addi poterit, quod eiusmodi dignitas magistratus, quae liberat a patria potestate, a) tantum efficiat ut Sctum non obstet, quia filius tunc ut paterfamilias mutuam pecuniam accipere, seque omnino eo nomine valide obligare potest. Quae vero filii dignitas patriam potestatem non soluit, ea nunquam faciet, ut Sctum non habeat locum.

a) vid. Nou. LXXXI. c. i. §. i. et L. ult. C. de decurionib. Dissent. IVL. PACIVS Ilagoric. in Digesta Lib. XIV. Tit. 6. n. 4. in f.

## XI.

In rem patris versa merito dicenda est pecunia, quae filio, etiam invito patre ad litterarum studia prosequenda, ab alio quodam subministrata est. Id enim in rem patris versum dicitur, quod patris oneribus incubuisset. a) Iam vero patris ad officium onusque pertinet, filio sumtus studiorum causa necessarios suppeditare. b) Hoc patris officium non cessat, quamvis invito eo litteris det operam  
filius,



filius, quia liberi procreari debent, vt publicum commune bonum promoueat, adeoque illi non tam parentibus quam reipublicae nascuntur. Pater itaque natos ei potissimum, quo salus publica maxime promouetur, destinare, nec adeo iis ad litteras incumbendis impedimento esse, aut sumtus studiorum causa recusare, aut hos ab alio subministratos denegare tenetur. Id tamen ea in re adhuc feruetur necesse est, vt filius idoneus sit, qui literis imbutus reipublicae utilis esse queat, et vt pecunia ab alio subministrata, quantitatem a patre dari solitam non excedat.<sup>6)</sup>

a) L. 2. L. 5. C. ad SCt. Maced.

b) all. L. 5. C. ad SCt. Maced.

c) L. 7. §. 13. ff. L. 5. C. ad SCt. Maced.





ULB Halle 3

005 372 50X



WIP











10127

Vol. III. n. 15

1752, 35.

6

DISPUTATIO IURIDICA  
VIGESIMA PRIMA  
**SELECTIONA IURIS  
PRINCIPIA**

AD

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XIV. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

PRAESIDE

**IO. TOBIA RICHTERO**

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXIX. IVNII A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBlice VENTILANDAM PROPONIT

**FRIDERICVS MICHAEL STEIN,**  
TORGAVIENSIS.

LIPSIAE

LITTERIS LANGENHEMIIIS.

